



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 4. In quo consistat plena seu absoluta voluntas ad conversionem
necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

Et abiliū omiſſione poſſet obtingere.
Hoc eſt non plenè aut abſolutè velle.

§. I V.

*In quo conſiſtat plena ſeu abſoluta voluntas ad
converſionem neceſſaria.*

*Si tamen
ipſe ejus au-
tor ſit.*

Plenam ſeu abſolutam voluntatem,
à ſemiplena, quam velleitatem di-
cunt, quā vult piger & non vult, condi-
ſtinctam, exactè deſcribit S. Thomas
opuſc. 16. p. 2. c. 3. quod quia præſenti
ſcopo congruit hīc nolim omittere: Ple-
ne autem voluntatis, inquit, hæc ſunt experi-
menta: aut enim eſt reſpectu habiti, aut reſpectu
habendi: ſi reſpectu habendi; quidquid actuali,
abſolutè & plena voluntate mihi volo, id ſi poſſum
acquirere, acquirō, & quo plenior voluntas eo
amplius quid poſſum examino, quid poſſum per
me & quid per alium, quid poſſum viribus, quid
ingenio & artibus, quid poſſum faciliter, quid
vix, vel difficiliter. Item ſi impeditus fuero, do-
leo, & quo voluntas plenior, amplior & dolor.
Idem ſi adeptus fuero, gaudeo; & plenitudo ju-
cunditatis reſpondet plenitudini voluntatis. Item
ejus oppoſitum nolo; & ideò ſi poſſum effugere,
effugio. Quod verò habitum plenā voluntate mi-
hi volo, id ſi poſſum conſervare conſervo, &
quanto voluntas plenior, tanto ſolicitudo conſer-
vantis diligentior.

Hoc

Hoc veraciter converforum est, isto modo à peccatis velle recedere: qui proindè non solùm omnem saltem mortiferi peccati voluntatem deponunt, sed & plenâ, hoc est absolutâ voluntate ejus recidivum statuunt cavere, ac per hoc media, quibus id effici opus est, & sollicitè inquirunt, & fideliter inventa assumunt. Ejusmodi non eâ quâ tres supra positos contingit facilitate relabi.

Secundus V.

Vera sive plena conversio suos recipit gradus.

Indicat tamen commemorato loco Angelicus Doctor, plenam voluntatem suos suscipere gradus, & aliam aliâ esse plenior. Quod omnino verum est, & præsentis rei elucidationi præcipuè inservit. Etenim non eadem est voluntatis plenitudo incipientium & adhuc in Christo parvulorum, quæ est perfectorum. Hi enim justitiæ & bonæ voluntatis provectu, quò minùs creaturis inhærent, eò plenius amorem transferunt in creatorem, ac pravam concupiscentiam magis habent debellatam, ut peccatorum in eis desideria nunc minùs quàm in recenti conversione moveantur.

K

26

Hoc